
326

J. G. Graevius


B
106

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 106



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 106

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 106



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 106



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 106



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 106

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 106

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 106

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 106

326 B 106.

JOHANNIS GEORGII GRAEVII

ORATIO FVNEBRIS


IN OBITVM

VIRI AMPLISSIMI & CONSVLTISSIMI

HENRICI MOREELSII J.C.

Olim in Academia Trajectina Anteceſſoris, deinde Curiæ Provincialis Senatoris, & Vrbis Patriæ Conſulis, multisque aliis dignitatibus functi.

Habita Trajecti A. D. III. *Kal. Octobr.* cIↄ Iↄc LXVI.



ULTRAJECTI,
Ex Officina MEINARDI à DREUNEN, Academiæ Typographi Ordinarii, ANNO cIↄ Iↄc LXVI.

Koninklijke Bibliotheek te 's Hage

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 106

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 106

JOHANNIS GEORGII GRAEVII ORATIO FVNEBRIS *IN OBITVM* HENRICI MOREELSII.

ILLVSTRES AC PRAEPOTENTES ELECTI, EQVITES, COSS. SENATORES, HVJVS PROVINCIAE ORDINES, NOBILISSIMI ET AMPLISSIMI CVRIAE PROVINCIALIS SENATORES, MAGNIFICE RECTOR, CLARISSIMI PROFESSORES, VERBI DIVINI PRAECONES REVERENDI, DOCTORES ET MAGISTRI PRAESTANTISSIMI, VIRI NOBILITATE, DIGNITATE, ATQVE DOCTRINA QVOTQVOT ADESTIS CONSPICVI, HOSPITES CIVESQVE, TVQVE NOBILISSIMA STVDIOSAE JUVENTVTIS CORONA.

VEllem funeſta hac provincia de viro Ampliſſimo HENRICO MOREELSIO dicendi publice, juſtaque beatis ejus manibus perſolvendi, quam mihi Patres Academici decreverunt,

aut nunquam aut longe ſerius licuiſſet fungi, aut, quia fatorum vis eſt ineluctabilis, illam mandatam eſſe alii, qui pro copia & ubertate in dicendo digne potuiſſet eam adminiſtrare. Sentio enim quam ardua quantique operis & ingenii res ſit deplorare vulnus ingens, quod huic Urbi intempeſtivus iſtius Viri obitus inflixit: (cui quæ ſunt lacrymę ſatis?) ſentio quam difficile ſit & ambiguum virtutes, doctrinam, & merita ejus, quibus ſuperſtes Academiam, forum, Curiam, ſummum hujus provinciæ tribunal, totam rempublicam, omneſque omnium ordinum & graduum homines ornavit & ſibi devinxit, celebrare & oratione aſſequi. Alium poſtulant præconem hæ tantæ laudes, quæ & florentiſſimum ingenium poſſint exercere. Partes tamen has quod iſtis humeris imponi ſim paſſus, facile apud æquos judices excuſaverit ſpero cum horum, qui mihi hanc curam commiſerunt, auctoritas, quam ſine ſummo flagitio declinare mihi haut licuit; tum pietas mea erga MORELSIUM? ne dicam ad exemplum facere in primis tam inſignis Viri funus tacitum & inhonoratum non tranſmittere. Ingens enim ad virtutem ſtimulus eſt tanquam in ſpeculo intueri coram & contemplari quæ informent vitam & ornent, quæque labem ei adſpergant & dedecori ſint. Nunquam tantas faces animis admovent, tantiſque optimarum artium ſtudiis inflammant præcepta, quam quæ exempla in illuſtri ſunt poſita. Vel ipſe ille gloriæ ſplendor, qui late ſe diffundit, egregiam & erectam indolem capit maxime & ab omnibus aliarum rerum curis & cogitationibus avocatam in ſe convertit. A præceptionibus tanquam triſtibus &

ſeve-

ſeveris monitoribus plerique abhorrent: magisque iis exaſperantur quam moventur. Ille Terentianus Chęrea conſpecta eleganti forma per viam cœco igne confeſtim carpitur, & non tam amore Pamphilæ, quam inſania & furore quodam, qui dies eum noctesque agitat, nec ſomnum nec cibum capere ſinit, corripitur. Excelſæ quoque & vividę animę ſimul ac in magna incidunt exempla tenere ſe amplius non poſſunt, ſed ingenti impetu & incredibili ardore in eorum æmulationem feruntur quorum amore & admiratione captæ defixæque hærent. Cœterum ſicut imagines, & ſigna quo ſunt expreſſa mollius, hoc & majorem admirationem habent: ita exempla illuſtria quo luculentius fuerint narrata. Quæ non minus ſcriptoris induſtria atque ingenium, quam picturam artificis manus ac ſollertia commendat. Iſta facultas quo magis in me deſideratur tanto enixius in ipſo aditu ſtatim a vobis, Auditores petenda venia eſt, ne cum ingenio pariter nos favor etiam veſter deſtituat. Qui magnos oratores ut facile ultro ambit & ſequitur, ita minutis & vulgaribus nunquam contigit, niſi materia ipſos commendet. Quæ maxime addit animos verbaque facturi erigit ſpem, ut, quam attentionem ſibi dicentis conatus promittere vix poteſt, ejus præſtantia ac virtus, de quo dicendum, mereatur: præcipue cum præſtet quomodocunque dicere, quam, cum non dicere flagitium ſit, tacere velle. Et ſi nihil aliud profeſſio certe obſequii & pietatis favorem veſtrum ſpero exorabit.

Qui vina commendare volunt, aut Rheni flumen, aut illa felicis temulentiæ juga Gaurum, Falernum, Maſſicum

canunt. Aliis quoque mercibus ut pretium inſtitores concilient, terrarum & gentium unde advectæ vocabula non ſine ambitione quadam inculcant. Magnos viros ut facit animus, ita neceſſe adeo non eſt commemorare in illis ubi atque ex quibus nati. Sicut excellens atque egregia mens cœleſte donum eſt, atque a Deo cum primis venit, ita contingere ubique poteſt. Non illam aut ſoli confert nobilitas, aut vilitas loci contra excludit. Si Patriæ ac incunabulis deberetur non apud ſtupidos Scythas Anacharſis natus eſſet ſapiens: nec apud ſolertiſſimos homines Athenienſes ſtultus Meletides. In rure & inter raſtra, non laquearia aurea tantum, ac aulæa purpurea adolevere magnę animæ, & qui ſcripſerunt leges populis, & qui imperitarunt late ac dominati ſunt, de caſis etiã & gurguſtiolis prodierunt. Non reprehenderim tamen Simonidem temere, qui inter cœteras felicitatis humanæ partes illuſtrem etiam patriam habuit. Nam ut in arboribus plurimum refert qua terra, quo ſurculo creverint, ita in nobis ad temperandam indolem haut parum intereſt ubi & unde quis fuerit natus. Ac gratulandum adeo noſtro arbitror, quod potius in iſta nobiliſſima gente, quam ad Boryſthenen Scythicum, aut inter deſerta Nomadum hauſerit lucem: clariſſimamque hanc Vrbem incunabula habuerit pariter & in cudem morum & doctrinæ officinam. Manat quidem a Deo, tanquam ex ſole demiſſus radius, cœleſtis animi vis, quę nos virtutis & maximarum artium capaces reddit: ſed ut emicet illa, & adoleſcat quaſi, roburque ac vires acquirat, fomentis externis etiam indiget: nec excitanda ſolum exemplis egregiis eſt;

ſed moderanda etiam diſciplinis præclaris. Quarum rerum ut non ubique copia ſuppetit, ita illuſtribus civitatibus vix unquam deeſt. Nam neque eſſe tales, niſi per viros excellentes queunt: & hos cum ſuper alios dignitas famaque poneret, virtus & ſapientia evexerat ante. Refert idcirco non nihil plane, ubi quis natus olim ſit, ubi & inter quos mores & diſciplinas prima ætas adoleverit. Quæ ut tenerrima eſt & ceræ inſtar mollis ac ſequax, ita in quæ exempla incidit primum, eorum formam accipit & tenet. Nunquam non Trajectum Viris magnis & omni laude excellentibus aut incunabula præbuit aut larem, invitante quodam elegantiæ genio, qui ſe per Vrbem inſinuat, & luculentis indiciis paſſim prodit. Vix enim in tota fœderata Belgica ulla reperitur urbs, quæ cœli nulla peſtilente paludium nebula infecti ſalubritate & clementia, agrorum ubertate, lætitia pratorum, hortorum nemorumque delicatorum amœnitate, limpidiſſimarum aquarum fontibus, fructuoſa jucundaque perennium fluviorum irrigatione cum Trajecto noſtra poſſit comparari. Ne nunc dicam de ædium ſplendore, viarum magnificentia, de frequentia nobiliſſimorum, qui hic degunt, virorum, de reliquorum civium humanitate, de eximiis ſocietatibus Canonicorum, quæ multos copioſos & pręſtantes viros ex aliis urbibus & regionibus alliciunt & invitant, ut ſedes fortunaſque ſuas huc transferant opesque ac dignitatem ejus augeant. Nihil commemorabo de optimarum, quibus fundata eſt, legum æquabilitate, nihil de magiſtratuum, qui eas cuſtodiunt, integritate & gravitate, nihil de Areopagitico illo quaſi ſenatu,

curiæ Provincialis, nihil de ampliſſimo conſeſſu Illuſtrium hujus Provinciæ Ordinum, nihil de hac pietatis, ſapientiæ & pulcherrimarum artium palæſtra, in quam ex omnibus Europæ regionibus ad capeſſendum ingenii cultum quotidie flos juventutis confluit. Hic igitur cum lucem adſpexiſſet noſter, ubi nihil propemodum niſi eruditum ac cultum, ac quovis animo liberali maxime dignum videret, quid mirum ſi litterarum & honeſtiſſimarum artium amorem vel mature induit animo, vel indole ipſa ſtatim oſtendit? Patrem habuit PAULUM MORELSIUM, qui non ſolum inter præſtantiſſimos hujus ætatis pictores non ultimum ſibi vindicat locum, ſed & tanta fuit prudentia, morumque gravitate, quam ſingularis quædam humanitas condiebat, ut ad Senatoriam dehinc ad Ædilitiam dignitatem ornatã magiſterio rationum Urbanarum proveheretur: cujus monumentum etiam nunc extat porta illa omnium hujus Urbis ſplendidiſſima, quæ Catharinæ vulgo dicitur, ejus potiſſimum ingenio & cura in hanc, quæ omnium oculos in ſe convertit, pulcherrimam molem excitata. Non eſt ut exiſtimemus nobilem pingendi artem a Reipublicæ moderatore eſſe alienam. Invenit jam olim locum inter liberales artes, & in inſtitutionis liberorum partem a Græcis fuit recepta, apud quos ea pueri ingenui æque ut litteris, palæſtra, Muſicis erudiebantur. Romanis proceribus tanti viſa eſt, ut cautum edicto fuerit ne ſervi eam exercerent. Patricii enim & civitatis principes in illa ſuam occupabant operam & ętatem, indeque cognomina non ſecus ac a victis gentibus & pacatis provinciis petebant. Nemo paulo humanior igno-

ignorat Fabios Pictores, clariſſimam gentem, cui hoc cognomen dedit manus Fabii, hominis nobiliſſimi, qui Salutis ædem pinxit. Hujus artis ſtudium etiam in M. Antonio, & Hadriano Imperatore priſcę memoriæ, ac in Nepotiano, ſacerdote Chriſtiano caſtiſſimo prædicat Hieronymus. Et profecto ruſticus ſit & impolitus plane, qui illam artem, quæ parentum, amicorum & virorum quos colimus, ſimilitudines ad poſteritatem propagat, ut & ſuperſint, poſt fata: quæ naturam imitatur, & quæcunque illa produxit, ac ambitu ſuo in hoc univerſo complectitur, tam mirifice, tam feliciter exprimit, ut, quæ vix animis poſſint inveſtigari, ea cernantur oculis, & majore cernantur cum voluptate, quam quę ipſa natura edidit, (Quem enim non magis delectat egregie ut proxime ad veritatem accedat roſa picta, quam vera?) mirandis humanæ mentis operibus non accenſeat, & qui in ea excelluerunt non faciat maximi. Athenienſes, populus omnium, quos ſol vidit, cultiſſimus & elegantiſſimus, inter præcipua patriæ ſuæ decora oſtentabat eximiorum pictorum copiam, quam ea tulerat. Hac laude nulli gentium, ſi ab Italia diſceſſerimus, noſtra & ſuperiore memoria inferior fuit hæc Belgica. Sed in tanto, quo floruit, artificum proventu, pauci tamen tam felici genio nati fuerunt, ut ad iſtam gloriam potuerint adſpirare, quam conſecutus eſt MORELSII parens, cujus tabulas omnes, qui eruditos habent oculos, vehementer admirantur, animoſiſſime, ſi facultas datur, comparant, & dignas judicant quæ in arcem ut Phidiæ Minerva collocentur.

Mater

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 106

Mater ei fuit ANTONIA van WINTERSHOOVEN, Matrona lectiſſima ac dotibus eximiis prædita. Nam quod concepit ac edidit tam nobile pignus neceſſitatis eſt: quod aluit, fovit, educavit, ac ita quidem ne quid decederet depoſito tam grandi, eumque ſe exhiberet MOREELSIUS quem olim natura formaverat, cum tam inſignem ac utilem Reipublicæ Virum in eo moliretur, prudentiæ fuit ac pietatis. His parentibus editus eſt A. D. XVII. Decembris anni quinti decimi ſupra milleſimum ſexcenteſimum. Patris præcipuæ cura erat ut ætas ejus prima imbueretur iis litteris, quæ verum de Deo ſenſum & rectum ejus cultum inſinuant, quæ amorem honeſti & vitiorum imprimunt odia. Nam ut hæc annis teneris accipiuntur ita in reliquas plerumque ætates durant, nec facile evelli poſſunt & eradicari. Videmus pleroſque omnes mortales eas ſequi & in omni vita tueri de Deo aliiſque rebus opiniones, quas cum lacte materno imbiberunt. Non minore tamen ſtudio in id incubuit, ut, cum velocitatem ac bonitatem quandam ingenii eximiam in filio deprehendiſſet, magiſtris traderetur idoneis, ſub quibus tyrocinii poneret rudimenta, honeſtarumque artium elementis initiaretur. Nam ut is quem rerum natura neglexit rebus reconditis intelligendis, & magnis inter mortales gerendis aptus non eſt; ſic indoles quamvis optima exerere vim inſitam & eniteſcere non poteſt, niſi rectis cultibus roboretur: ſicut gemma nunquam conſequitur pretium, quod habet in ſe, niſi artificis manu poliatur, & aurum quamdiu venis ſuis merſum & in luto jacet abditum nullo eſt numero, niſi homi-

num effodiatur induſtria, ſuisque purgetur fœcibus. Themiſtocles divini ingenii vir fuit, ſed æque virtutibus vitiisque inſignis. Cujus inæqualitatis hanc cauſam referunt priſci ſapientes, quod nullis litteris & diſciplinis, quę moderentur animo, & vehementiam impetus reprimant, ad ſtabilem honeſti cuſtodiam fuerit imbutus. Quod ſi quis altam indolem ſcientia litterarum & diſciplina firmaverit, ut ad recte agendum non melioris tantum naturę moveatur inſtinctu, ſed & adiutus doctrina recte agere ſciat, nec a præclaro curſu deflecti, aut vitiorum illecebris, aut voluptatum lenociniis, aut imperitorum importunitate ſe ſinat avocari, tum admirabilem quandam perfectamque virtutem exiſtere oportet. Quare ne excellens ingenium MOREELSIUS corrumperet, & ad prava deflecteret, mature optimis magiſtris formandum & fingendum pater credidit. Sub quibus non modo quæ tradebantur celeriter arripuit, ſed ita ſtatim inter æquales ſuos eluxit, ut quemadmodum agricola ex floribus arborum fructus ſolet præſagire, ſic jam tum ex illa floreſcente indole fuerit divinare felicem & uberem quandam frugem & maturitatem virtutis & doctrinæ. Ita enim comparatum eſt. Nulla indoles præclara diu poteſt latere, ſed ſtatim ſe prodit in teneris annis. Nemo unquam ad magnam pervenit virtutem, & eruditionem, niſi qui ejus in prima ætate luculenta dedit argumenta. Cum adoleſcentiæ ſpatia eſſet ingreſſus, & abſterſiſſet primis diſciplinis ruditatem ætatis crevit & cum filio parentum cura, qui nihil habebant antiquius quam ut in ſuum ſurgeret faſtigium præclara moles, cujus funda-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 106

menta videbant tam egregie jacta. Circumſpiciebantur Academiæ tum vicinæ, cum quæ apud exteras gentes celebrabantur. Commodiſſima viſa eſt Illuſtris Sicambrorum ſchola Hardervicena, non longe poſt in Academiarum cenſum relata, in qua feliciter conſummaret quæ præclare cœperat, & quia Vrbs erat antiquæ ſeveritatis & frugalitatis, & quia viri eruditiſſimi litterarum aliarumque optimarum artium ſtudia, præcipue legum & juris diſciplinam (inter quos tanquam ſydera ſplendebant JOHANNES ISAACUS PONTANUS, præſtantiſſimus veteris & recentis ævi interpres, & magnum illud Juris prudentiæ Oraculum ANTONIUS MATTHÆUS, qui & hanc noſtram poſtea illuſtravit Academiam) ibi tradebant, ut plurimum illic eſſet doctrinæ, corruptelæ parum. Non omnis locus parandæ ſapientiæ facit, ſed qui maxime eſt remotus a luxu & voluptatibus. Poſſunt quidem inter contaminatiſſimos mores etiam doceri optima, non tamen inſiſtere ac inhærere animis, cum publica vita trahit alio, quæ inſtar turbinis procelloſi impellit animos, & vel invitos ſecum rapit. Ita perinde animis ſicut corporibus ſalubrior alius præ alio locus eſt. In hanc igitur ſcholam amandatus ſecum tulit cupidum perquam diſcendi animum, & bonam mentem, cui rectores ac duces dederat hinc temperantiam, inde modeſtiam, quæ ad omnem virtutem aptiſſimæ naturæ præbet augurium. Neque enim niſi horum auſpiciis aſſuetus animus ad ullius præclaræ rei facultatem poteſt adſpirare. Quare non ille juvenum more, qui ſimul liberius vivendi poteſtas data eſt, ſtudiorum

rum libertatem in laſciviam vertunt, referebat ſegniter otium ad voluptates & temulentiam, ſed hoc vacabat magis diſciplinis egregiis, quo aliorum curarum liberior eſſet. Itaque nactus hunc campum in omne litterarum ac artium genus lætiſſimo impetu excurrit, nec quicquam magis dedit operam, quam ut ſolidam maſculamque eruditionem indueret animo, quæ virum, quæ civem bonum inſtruat, & maximum ſui fructum in ipſo rerum promitteret uſu, non putidam illam atque umbratilem, quæ ſubtilitates vaniſſimas agitat, & cum egreditur ſcholam nihili eſt, nullumque publico affert emolumentum, quo omnia ſunt referenda. Itaque quamvis decreſſet legum & juris ſtudio præcipue attendere, non tamen ante tam vaſto mari ſe auſus fuit credere, quam inſtructus eſſet uberrimo commeatu utriuſque linguæ, hiſtoriarum & doctrinæ civilis ac moralis. Nefas enim habebat in ſcholas legum propellere cruda ſtudia, quod plerique hodie faciunt adoleſcentes, neque exiſtimabat ſatis eſſe ad tuendum prudentis Juris nomen & dignitatem, ſi ita Latine loqueretur & ſcriberet, ut ne in indignationem Priſciani incurreret, quod ingenia jejuna & ſocordia cum ſunt conſecuti, diſerti ſibi videntur & probe hac cura defuncti. Norat qui hac inſcitia contenti ſunt nunquam e vulgo ſe eximere, aut admodum ſupra illud ſapere poſſe. Nam etſi qui ſint, in liberali aliqua doctrina, ſive in rerum vi & natura perſpicienda, ſive in cognoſcendo quid æquum & iniquum, quid utile ſit & inutile, ſive in veris a falſis dijudicandis & diſtinguendis elaborarint, ii tamen nihil profeciſſe, nullum podus, nullumque mo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 106

mentum habere eorum ſcientia putatur , niſi cum aliis poſſit communicari. Hoc aut lingua, qua ex animi fontibus immenſæ divitiæ hauriuntur, ornamentaque propria hominis in conſpectum omnium proponuntur, aut ingenii præſtant monumenta, quibus quæ mente ſumus complexi, exponimus & notitiæ hominum inſinuamus. Lingua vero ſi contaminate atque inquinate balbutiat, ac verborum evomat portenta, ut non tam loqui quam grunnire videatur: & ingenii fœtus ſi dictione impura, horrida, tortuoſa, & agreſti prodantur , cui non æque pariant ſatietatem , ac moveant nauſeam ac lautiſſimi cibi in patinis cœno ac luto conſpurcatis appoſiti? Nemo autem hanc impuritatem effugerit, niſi qui ſermonis illius, quo meditationes ſuas explicaturus eſt, ex lectione ſcriptorum, qui pure & emendate loquendi laude floruerunt , copiam domi conditam habuerit amplam & uberem.. HENRICUS quo ad altiora nitebatur , tanto ſtudioſius ei viæ inſiſtebat quæ illuc ducit, totumque ſe dabat evolvendis Terentio , Cæſari, Livio, Ciceroni, aliiſque optimis Latinæ linguæ auctoribus, quos iners vulgus cum ex ephebis & ſcholis exceſſerit puerilibus tanquam calceos detritos abjicit. Ex illis non ſolum aurea depaſcebatur dicta, quæ in theſauros ſuos recondebat, ſed & veteris Romanæ reipublicæ conſuetudines, religionem, magiſtratus, judicia totamque faciem perdiſcebat, vere perſuaſus fieri nullo modo poſſe, quin homines ejus reipublicæ ignari, cujus leges & jura ſunt tractaturi, tanquam in illuni nocte ſine lumine errantes ſæpe impingant, ſæpe labantur, ſæpe quovis potius,

quam

quam quo inſtituerunt, perveniant. Acceperat a magiſtris ſuis, quam portentoſis erroribus & quæſtionibus alieniſſimis illorum libri ſint referti, qui ſine hac Latinæ linguæ & hiſtoriæ face Romano juri illuſtrando incubuerant. Sed cum ad eloquentiam, cujus cupiditate noſter exarſerat, non ſufficiat tenere figuras omnes & formas dicendi, habere paratam præterea ad omnem uſum lectiſſimorum verborum copiam, ſenſibus quoque ſententiiſque haut vulgaribus opus eſt, quibus quaſi habenis animi audientium aut flectantur & circumagantur, aut tanquam cœleſti quadam vi concitentur & agantur. Quod quis præſtabit niſi varietate artium ac diſciplinarum multiplici ſupellectile, inprimis doctrinæ de vita & moribus, & de civitatibus bene conſtituendis & regendis cognitione pectus impleverit? Demoſthenem talem ac tantum Oratorem non tam palæſtra Iſæi atque Socratis, quibus dicendi magiſtris uſus eſt, quam ſchola Platonis finxit & formavit. Quem cum non modo aſſectaretur aſſidue & diſputantem auſcultaret foras, ſed domi quoque diligentiſſime ejus volveret libros, ſublimitatem ſenſuum juxta & eam orationis granditatem inde hauſit, qua potentiſſimos Græciæ poſt fulminaret. Ciceroni principatum eloquentiæ inter Latinos communi ſuffragio detulit orbis eruditus quem nunquam eſſet adeptus niſi Philoſophiæ cognitionem ad oratoriam hanc Muſam attuliſſet. Qua de cauſa ipſe fatetur, quicquid effecerit eloquentia, id ſe non in officinis Rhetorum, ſed in Academiæ ſpatiis eſſe conſecutum. Verum hi non ſolum fontes ſunt eloquentiæ, ſed & prudentiæ & omnium

bonorum legum. Quam multa enim percepta recte morali diſciplina diſceptantur a prudente Juris rectiſſime? Locus de Juſtitia Oceanus ille eſt, *cuncti ex quo fluvii manant & cærula ponti*, ut cum Homero loquar. Nam quid de juſtitia aut latum aut ſcriptum eſt, aut prodi unquam potuit, cujus ibi non ſint elementa? Principia vero artis ſuæ qui ignorat, quid in illa videbit, quid intelliget, quem fructum ſui laboris operæque in illam impenſæ feret? Hæc omnia MOREELSIUS excuſſit, nihil eorum reliquit intactum, quibus præparatur & concinnatur quaſi animus ad ampliſſimam juris diſciplinam recte excolendam. Hinc cum his præſidiis inſtructus ſtrenue arduum iſtud iter ingrederetur, uſus illo uno omnium optimo & excellentiſſimo Magiſtro, ANTONIO MATTHÆO, tam longe brevi tempore diſcendo exercendoque ſe, publiceque ac privatim de obſcuro legum intellectu, difficillimiſque quæſtionibus diſputando proceſſit, ut inter æquales ſuos non emineret modo, ſed & induſtria ſtudioque ſuo cunctos incitaret. Huic operi dum Hardervici dies noctesque invigilat, Ampliſſimi iſtius Vrbis magiſtratus ſapientiſſimo conſilio in hac ejus patria moliebantur ædem, in qua pietas, Diva Themis & omnis Muſarum chorus ſedes collocarent. Nihil enim ad felicitatis ſummam & pulcherrimæ Vrbis decus exiſtimabant deſiderari quam officinam liberalium ſtudiorum, in qua potiſſimum civium liberi cum minuſculis, ut ita dicam, litterarum ſacris eſſent defuncti, in ore & ſinu parentum corroborarentur, & ſeverioribus informarentur diſciplinis. Nec diu nobile conſilium res morata.

Publi-

Publicatur illuſtre Palladium, conquiruntur curioſo delectu Viri eruditiſſimi, &, qua quisque parte cenſeri voluit, excellentes. Inter alios arceſſitur inſignis ille MOREELSII doctor, quem jam ſæpius honoris cauſa nominavi. quo diſcedente ſibi quoque non diutius apud Geldros deſidendum ſtatuit, ſed collectis ſarcinis ſequebatur quo dux ejus ſigna ferebat. Gymnaſium recens apertum paulo poſt, cum ejus ſucceſſus & lætiſſima incrementa non ſpem modo & expectationem ſed vota quoq; omnium ſuperarent, magnoque juventutis exteræ confluxu frequentaretur, in Academiam crevit numeris omnibus abſolutam. Teneri tum MOREELSIUS non potuit, nec contentus ingentis gaudii tacita conſcientia publice diſerta & ornata oratione patrię ſuæ de tanto ornamento gratulatus eſt, Patribuſque pro maximo hoc munere, quo cives ſuos affecerant, laudes & gratias dixit, qui & benigne hanc ejus in patriam & ſapientię ſtudia voluntatem acceperunt, & ampliſſimo congiario ſunt proſecuti. In Athenæo patrio cum ſtudiorum Academicorum ſpatia confeciſſet, & magna ſui dediſſet experimenta, quę virum egregium & patrię utiliſſimum civem promittebant, in Lugdunenſem Academiam omnium Fœderatæ Belgicæ antiquiſſimam & celeberrimam conceſſit, & cum ibi ſummos viros, quibus ſemper abundavit, Salmaſium, Heinſium, Vinnium adoraſſet, ſaluberrimasque eorum præceptiones imbibiſſet, in Gallias iter adornavit, ut & ibi colligeret quod in uſum patriæ referret. Etenim ut terræ diverſis dotibus ſic populi quoque moribus differunt: neque vel omnia vel eadem aut repe-

rium-

riuntur ubique aut excelluut. Alia alibi florent & habet quælibet natio egregium aliquid quo ſe attollat ſuper alias. Gallia ut palæſtra eſt civilis cultus & politæ conſuetudinis, in quam ut olim in antiquam Græciam ex tota Europa ad omnem elegantiæ habitum induendum mittuntur quicunque venuſtate morum volunt commendari: ſic & nutricula eſt maximorum ingeniorum tam ſagi quam togæ artibus illuſtrium. Nec eſt ulla gens quę poſt diſcuſſam illam barbariei noctem illætabilem, plures in omni ſcientiarum genere viros tulit incomparabiles, & etiam nunc fovet quam feliciſſima illa Heſperiarum regionum. Quæ enim eſt quæ Theologos produxerit, qui cum Calvino & Beza, &, qui etiam nunc ſupereſt & inter omnes familiam ducit, Samuele Bochardo; quæ Juris Conſultos ediderit, qui cum Cujacio, Duareno, Hottomanno, Fabrotto: quæ Polyhiſtores, & omnis eruditionis, qua late patet, antitiſtes pepererit, qui cum Scaligeris, Salmaſio, Budęo, Caſaubono, Turnebo, & qui cum maxime noſtram ornat ætatem Franciſco Valleſio: quę Philoſophos in lucem miſerit, qui cum Carteſio & Gaſſendo: quæ Oratores genuerit qui cum Mureto; quæ conditores memoriarum & annalium procreaverit, qui cum Thuano poſſint conferri? Beatam hanc terram peragravit noſter non diſcurrens otioſe cum magna temporis & facultatum jactura per varios tractus & oppida inſtar errantis Iſidis, ut nunc fere plerique omnes qui in exteras regiones quotidie catervatim non aliter ac in officinas omnis licentiæ, luxus & flagitiorum excurrunt. MOREELSIUS quicquid aut ubique cognitu

gnitu pulchrum, ut oculos tenere, aut æmulatu decorum, ut exemplo poſſet prodeſſe, cupidiſſime indagabat & obſervabat accurate. Nihil tamen in omni peregrinatione prius habuit quam virorum doctrina virtutibus conſpicuorum ſtudia & benevolentiam colligere, quorum collocutionibus & conſuetudine non tantum eruditior & cultior, ſed & melior fieret & ſapientior. Sic enim ſtatuebat, ſapientes ſecundum illud Euripideum ex ſapientum congreſſibus fieri: Majorem uberioremque laborum atque itinerum fructum haut eſſe expectandum, quam qui ex iſto ſemper florentis, ut Virgilius, ait Sophiæ campo decerpitur. Ita Pythagoras, ita Plato, & cœteri omnes peregrinati ſunt, qui non inania curioſitatis ineptæ ludibria, aut in mimorum ridicula æmulos geſtus, novaque ornandi atque colendi ingenia, ſed artes bonas, & doctrinarum ac ſapientiæ omnis generis inſtrumentum locuples domum referre voluerunt. Tres illa tempeſtate in Galliis agebant, qui & præſtantia doctrinæ & celebritate nominis ſuſtinebant priſtinam dignitatem, qua gens illa in juris myſteriis aperiendis præ aliis excelluit jam olim, Lutetiæ Hannibal Fabrottus, Avarici Biturigum Emundus Merillius, Genevæ Jacobus Gothofredus Junior. Hos facile ſibi conciliavit ſuavitate ingenii & eximia juris peritia, inprimis Merillium, cujus auſpiciis laurea & ſumma auctus ac decoratus eſt dignitate, quæ tribui ſolet iis, qui quaſi legitima in Academiis expleverunt ſtipendia. Iſtis autem honoribus ambiendis ſcholam Biturigum ceperat, quod laudi ſibi duceret in illa cathedra meritam adoream adipiſci, ex qua cœle-

ſtis ingenii vir Jacobus Cujacius, Juriſconſultorum ſine controverſia Princeps, oracula ediderat olim, & quam tunc non degener ejus diſcipulus nobilitabat, feliciſſimo auſpicio non minus ornamentum ſe paucis annis poſt patriæ futurum Academiæ. Cum ad penates ſuos revertiſſet decurſo toto illo ſtadio, quod juvenibus ſtudio juris deditis præſcribitur, non labaſcere tamen cœpit ejus induſtria, aut conſeneſcere diſcendi ardor, quę fere juventutis noſtrę calamitas eſt: ſic enim ſe pleraque præbet, ut ſcholaſticis agonibus exantlatis otio & ignavia torpeſcat, & dedita ventri ac ſomno bonas horas nugis & diſcurſitationibus conterat, nec perinde ut debet in laudis & gloriæ cupiditate verſetur: ſed ut nautę qui portum conſpexerunt, eo contentius velis remiſque ad littus contendebat, indiesque magis magiſque ſe extollebat, ut omnium magna de eo eſſet ſpes, magna expectatio, omnium oculi & ora in eum converſa, omnes denique ejus virtutem, doctrinam & modeſtiam admirarentur & celebrarent. Ea fama & conſtans de MOREELSII ingenio & virtutibus opinio ſtudia magiſtratuum noſtrorum accendit, ut XII viris, qui in curia Vrbana juri dicundo præſunt, extra ordinem adſcriberetur, ne tam in otioſo Muſarum receſſu, quam in publica hominum luce illę dotes arteſque emicarent. Et tantum abeſt ut expectationem, quam de ſe concitaverat deſtituerit, aut fefellerit judicium hanc perſonam ei induentium, ut potius longe vicerit & ſuperarit omnium opinionem. Sic enim ſe comparabat, ut bonis, quæ natura & ſtudium in illum contulerat, facile omnia quæ ſunt in republica am-

pliſſima

pliſſima conſecuturum eum eſſe cuncti intelligerent, unaque voce teſtarentur laxiora explicandæ tantæ doctrinæ & cognitioni juris, quam in eo deprehenderant, pandenda eſſe ſpatia, nec forenſium controverſiarum anguſtiis tam excellens ingenium circumſcribendum. Oſtendebant fata patriæ viam, qua votorum ſe poterat compotem facere, & non tantum ipſa uberiores ex tam præſtante cive ſuo fructus capere; ſed & cum aliis quamplurimis ſine ſuo diſpendio, maxima cum gloria, eos communicare. Deſiderabatur in Academia noſtra tertius Juris Profeſſor, qui affluenti & creſcenti indies ſtudioſorum numero in legibus interpretandis navaret operam. Non putavit ſibi quærendum foras, cujus domi copiam habebat. Producebat ex ſubſellis judicum MOREELSIUM in cathedram Academicam tanquam in editum theatrum, ex quo nominis & eruditionis ſuæ famam longe lateque diffunderet. Sentiebat Academia illico quantum decus & momentum ſibi acceſſiſſet. Sicut enim apud Poëtas Deos comitatur lucis clariſſimæ & inuſitatæ vis ingens, qua quocunque greſſus ferunt cuncta perfundunt & replent: ſic alta MOREELSII mens & copioſa eruditio collegia, in quæcunque cooptabatur, illuſtrabat. Qui docentem audiebant, ubertatem ingenii, ſuavitatem oris, & præcipue facilem viam ac rationem perſpicue præcipiendi quæ tradebantur ſuſpiciebant, cogebanturque fateri MOREELSIUM a Muſis in ipſo Juriſprudentiæ ſinu eſſe educatum, & quam a ſacro ejus ubere ſuxerit æqui & boni diſciplinam cum magno ſtudioſæ juventutis emolumento in florentiſſima hac Aca-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 106

demia largiſſime profundere? Cum decem ipſos annos in hac ſcena cum magno applauſu & laude eſſet ſpectatus, ad altiora eum ſua vocabat virtus, nec patiebatur in otio hoc litterario & umbratili conſeneſcere. Vacuus erat in ſuprema hujus Trajectinæ reipublicæ curia locus. Quem alium ei ſupplendo Patres Patriæ eligerent quam MOREELSIUM, quem cognorant ab omnibus copiis paratiſſimum eſſe ad muneris hujus amplitudinem tuendam? cujus gravitas, fides, religio, ſeveritas juxta & æquitas multis magniſque documentis dudum erat perſpecta? quem viderant leges & jus omne eaxcte tenere in Academia: quem ſciebant nihil in cognoſcendo ambitioſe feciſſe aut dediſſe odio in tribunali Vrbano? quem nullis muneribus ineſcari, nec potentia, nec odio, nec ratione proprii alicujus commodi aut incommodi, nec invidia, nec miſeratione, nec amicorum & ſanguine conjunctorum ignominia, & probro a vero poſſe abduci exploratum habebant? Fuit enim MOREELSIUS, ſi quis unquam, vir bonus, quod pulcherrimum nomen ſplendidiſſimos triumphatarum gentium, & pacatarum provinciarum titulos aut ſuperat, aut æquat, in pronuntiando liber & ſolutus ab omni perturbatione & motu animi, qui in ſola veritate defixam habebat mentem: ita ut etiam inſitum ac ingeneratum omnibus amorem erga neceſſarios ſuos in tribunali exſueret, & nulla prorſus hominum ratione habita de ſolis rebus judicaret. Memoriæ proditum eſt apud Thebanos fuiſſe in publico judicum ſtatuas dedicatas, easque ſine manibus, quod argumento erat nullum eos a quoquam debere munus acci-

cipe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 106

cipere, ejus autem qui judicio præſideret, etiam ſine oculis, quod perſonarum adſpectu judices interdum a recto avocari exiſtimarent. Ab utroque vitio non facile quiſquam fuit alienior. Rationem potentiæ habebat nullam, non contemnebat humilitatem, civibus non æquior erat quam peregrinis, a quibus jus ſtabat & fas ſecundum hos dabat. A largitionibus vero & donis ad judicandum datis tantopere abhorrebat, ut nullum hominum genus vehementius execraretur, & infeſtius odiſſet, quam judices qui libentius in nummorum, quam in argumentorum, quæ utrinque afferuntur, ponderibus expendendis occupantur, & utrius gravior eſt manus, ejus cauſam quoque meliorem videri pronuntiant. Menti enim dona caliginem & tenebras offundunt, ne veritatem poſſit adſpicere. Non erat ut quis illo ſedente calumniarum metu deterreretur a jure ſuo proſequendo. Nam qua erat ingenii perſpicacia facile præſtigias togatorum illorum vulturum, qui leges & jus fœdiſſime quæſtui habent, arteſque peſtiferas trahentium lites in immenſum, veritatemque mille calumniis occultantium eludebat præciſis moris pretioſis, & nodis, quibus cauſas involverant, explicitis, brevi litigatores abſolvebat rectam ſemper ferens ſententiam, nullumque aſtutiæ, acumini, & eloquentiæ legum ſimplicitatem ad libidinem ſuam detorquenti locum relinquens, ut nemo qui cauſa eſſet inferior, dicendo apud illum fieret ſuperior. Quid quæritis Auditores? a fide & officio MOREELSIUS nunquam diſcedebat, ſemper ſecum reputans quemadmodum ipſe de aliis judicet, ita de ſe non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 106

alios tantum homines, ſed ipſum illud ſupremum Numen, cujus vicarium ſe eſſe intelligebat, judicaturum. In hoc munere igitur cum ſanctiſſime & cum incredibili integritatis laude apud omnes verſaretur, & verſaretur ipſe cum tanta voluptate, ut de alio affectando cogitaret nunquam, ſed in hoc omnes ſuas curas & ſtudia fixiſſet, illique decreviſſet impendere, quicquid ætatis ei fatorum lex eſſet aſſignatura, inciderunt ea tempora, quæ in hujus Vrbis publica re tractanda viri ſapientis, fortis, vigilantis & rerum gerendarum periti miniſterium & conſilium requirebant. Tum maximam hanc curam & ſollicitudinem Patres conſcripti ſuſtinent, tum deliberant, tum circumſpiciunt cujus humeris tantum onus bene ſedeat, non poterat non MOREELSIUS eorum animos advertere, cujus conſtantia, probitas, animi conſiliique magnitudo in omni anteactæ vitæ curſu tanquam lumen quoddam eluxerat. Nec cunctantur diu. Patriæ operam ejus implorantis deſiderium oſtendunt, aperiunt conſilium quod ceperant in eo in Magiſtratuum numerum aggregando: rogant ut huic ſententiæ ſubſcribat, & patriæ ſubveniat. Quantum gaudii hoc Patrum judicium aliis attuliſſet! quam triumphaſſent ad tantam ſe extolli dignitatem! Ille vero confundebatur hoc improviſo nuncio, & acerrime diu refragabatur, præfatus ſibi deliberatum eſſe in ſacerdotio Juſtitiæ procul ab omni ſtrepitu & ambitione reliquum vitę tempus exigere, eique omne ſuum ſtudium conſecrare. Nec poterat ab hujus divæ complexibus avelli, nec enixis precibus nec conditionibus magnificis ab hoc propoſito demoveri. Diu fruſtra fatiga-

fatigabatur Ampliſſimorum Virorum precibus, diu omnium obteſtationibus occluſerat aures: ſed quo magis ille recuſabat, non ficto & aſtuto mimo recuſantis ſpecie flagrantiſſime cupiens; ſed vere & ex animi ſententia otii incenſus cupiditate, & ab illo turbarum & moleſtiarum Oceano longe refugiens: quo magis tamen ille recuſabat, & omnium obſecrationes a ſe rejiciebat longius, tanto magis hi inſtabant, tantoque impenſins contendebant, ne diutius pateretur in tanta ſolitudine & orbitate patriæ ſuam neceſſario hoc tempore deeſſe operam. Tandem expugnatus eſt, tandem tamen vicit fortuna patriæ. Divino itaque conſilio in Senatum Vrbanum lectus, & ſtatim hujus reipublicæ nomine rationum Magiſtris, qui VII. Fœderatarum civitatum vectigalia & reditus Hagæ Comitis tractant, adſcriptus, paucis vero menſibus poſt ad Conſulatus faſtigium ſummum quidem illud, ſed virtutibus tamen & meritis ejus debitum, provectus eſt. Quanta tum ſubito extitit bonorum omnium alacritas & exultatio, præſertim cum Viro Ampliſſimo & præclariſſime de rep. merito NICOLAO HAMELIO Collega adjungeretur. quantus omnium recte ſentientium tantis Conſulibus eodem tempore creatis triumphus, quanta gaudia, quanta omnium rerum expectatio! Quid enim non expectarent boni, quid ſibi non promitterent, quis non tanquam exoriente ſalutari ſydere in ſpem fati melioris erigeretur duobus tantis Viris ſimul ad clavum hujus Vrbis ſedentibus, quorum ſinguli pares erant maximæ Vrbi gubernandæ. Sed ſuperſtitis auribus & pudori parco. MOREELSIUS patentiorem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 106

tiorem campus exercendæ virtutis ſuæ nactus ita implevit omnes ſummi magiſtratus numeros ut veſtrum Patres in eligendo ſapientiam ipſius in regendo ſapientia comprobaret, & patriæ magis gratulandum eſſet quam ipſi, quæ quo magis indigebat bonis artibus eo plus præſidii in pietate & providentia ejus poſitum habebat, præſertim illis temporibus nubilis. Cum ventus ſecundus implet vela, diffuſoque undique lumine cœlum ridet, in facili eſt invenire rectorem, qui curſum temperet & navem in portum provehat. At cum magnum mare ſurgit, cum late omnia inhorruerunt tenebris, & multa undique mortis naufragiique obverſatur imago, tum legere & deſtinare arduum eſt, qui labantem quaſſatamque navem miſere ex hyeme & tempeſtate vitatis omnibus ſcopulis & caſibus ſervet. In ejuſmodi tempus cum inci- diſſet MOREELSIUS ad gubernacula reipublicæ admotus, non terga dedit fortunæ, non ceſſit diritati temporum, ſed contra ivit audentius ac omni cogitatione totaque mente incubuit in rempublicam, huic uni curæ intentus, ut diſpulſis nubibus, quas neſcio quis ex ſchola Boreas coëgerat, procellisque compoſitis ſerenitas rediret. Norat ille quidem in hac tempeſtate ſedanda quanta ſibi tempeſtas invidię eſſet ſubeunda, qui maligni rumores ſint exorituri, qui tribunitii clamores ſaluberrima ejus conſilia ſint exagitaturi, præſertim cum acerbioribus pœnis hominum ferocium & ſeditioſorum, qui auctoritatem magiſtratuum conantur convelleve, ut ſuam ſtabiliant, libidinem & audaciam frenandam eſſe ſtatueret, ſi in officio ſe non continerent, & lenitati ac patientiæ

Sena-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 106

Senatus inſultarent palam, otiumque publicum ſua importunitate perturbarent. Sed ille contemtis furoribus plebis, & eorum qui plebem concitant maledicentia, ipſo rerum exitu refutata, rectum ſemper tenebat curſum, a quo nec minis, nec maledictis, & inſanis vociferationibus ullius hominis auferebatur. Omnia conſilia non ad ſua commoda, ſed reipublicæ ſalutem & tranquillitatem referebat, ut Eccleſiæ & Academiæ rebus compoſitis utriusque doctores bene cum rectoribus reipublicæ convenirent. Nimirum magni & excelſi animi non tam reſpiciunt quod ſibi, quam quod univerſis prodeſt, magisque omnium quam ſuæ conſulunt utilitati. Communis ſalutis cauſa ſuam libenter projiciunt, rati ultimam partem demum ſibi ipſis, cœtera patriæ deberi, pro qua nihil non ſubire certaminis, graviſſimosque ſuſtinere labores pulchrum maxime & ſibi cumprimis proprium ducunt. Verum non tantum ſalutis patriæ, ſed etiam ſplendoris ac dignitatis curam habuit ac rationem. Cujus elegantiæ cum vidiſſet multum decoris acceſſurum, ſi ejus mœnia proferrentur, idque ſpatium in pulcherrimas vias deſcriberetur & regiones, perſuaſus brevi futurum ut a peregrinis frequentaretur, invitante locigenio & amœnitate, ſplendidisque monumentis & operibus excoleretur. & erant non pauci tam cives quam peregrini qui fidem dederant, ſe magnificis ædificiis illa loca exornaturos. De quo cum ad ſenatum eſſet relatum, frequenter a patribus in ejus itum eſt ſententiam. Admovebantur operi manus, deſignabantur mœnia, portæ, foſſæ, viæ, ſed præclaris cœptis interceſſit exulceratiſſimorum,

quæ poſt inſecuta eſt, tempororum diritas & parricidale bellum quod Angli nefarie patriæ communi, eorundem ſacrorum & ſymbolorum conſorti, intulerunt. Hæc etiam quæ optimo animo & ſapientiſſimo conſilio ad decus, gloriam & commodum hujus Vrbis inſtituerat, multi reprehendunt, & interpretantur ſiniſtre, quaſi ſucceſſus & nec opini caſus in ejus manu fuiſſent. Homines prudentes non metiuntur eventu conſilia, & fortuita ad culpam trahunt. Sæpe ſtultus impetus caſus correxit, & prudentiſſime cogitata fatorum neceſſitas diſcuſſit. Romani non ducum ſuorum res geſtas, etſi proſpere ceſſiſſent, ſed conſilium & rationem ponderabant. Moreelsium cũ novę Vrbis moliendę auctor eſſet Senatui, non ſerviiſſe ſuis commodis, non laudi & gloriæ, ſed patriæ ſplendori & emolumento nemo puto unquam ibit inficias. Tranſverſos neceſſitatis incurſus, qui egregiis auſis injecerũt manus, qui crimini dant, ii quaſi obliti ſortis humanæ non meminerunt neminem mortalium incerta caſuum poſſe ac debere præſtare. Inter hæc ſecundus Conſulatus annus vertebatur. Pridie antequam illum ejurabat ſe rurſus in Conſilium Senatorum Provincialium, tanquam in tranquilliſſimum portum ex turbulento mari ſe recipiebat, in ſuaviſſimo ſuæ Themidis conſortio, a quo invitus maxime fuerat abſtractus, conquieturus. Diſcidium enim hoc plane ferre non poterat: Sed non diu ejus ſe oblectavit conſuetudine: altero enim anno poſt rebus humanis fuit exemtus.

Talem, Auditores, Moreelsius ſe prębuit in publico, in Academia, in utraque Curia. Summa tamen tantum faſti-

faſtigia ejus vitæ delibavimus. Multa præterimus feſtinantes, quæ ſingula, niſi copia obſtaret, amplum ad dicendum argumentum poſſint præbere. Nihil diximus de ſplendidiſſima illa functione, quæ ei fuit aſſignata in ampliſſimo conſeſſu judicum, dirimendis controverſiis inter noſtrę reip. & Hiſpaniarum Regis cives conſtituto, quamvis ea primo fere loco debuiſſet cõmemorari, quippe quę nulla earum, quib. pręfuit, eſt inferior: nihil de multis aliis honoribus, quos patria in ipſum contulit. Hæc annalibus recenſenda relinquimus. Si nunc interiorem ejus vitam, & multas illas maximasque virtutes, quæ in illo effulſerunt, vellem dicendo perſequi, dies, vox, latera me deficerent. Tres ſine piaculo non poſſunt ſilentio involvi, pietas ejus in Deum, ſtudium concordiæ in hoc Chriſtianæ religionis divortio, & liberalitas in egenos ſingularis plane & commemoranda. Pietatem tanto ſemper coluit opere, ut cœtera omnia poſtponere longe videretur, illiusque ſtudio multos etiam eorum qui pietatem ſemper verbis præ ſe ferunt, ac oſtentant, quique piiſſimum virum etiam nunc poſt fata audent impietatis flagitioſe poſtulare, poſt ſe magno relinqueret intervallo. Nullum diem abire patiebatur, quo non & lectioni ſacrarum litterarum, & ſtatis precum temporibus vacaret. Nunquam mane ſurgebat, nunquam ſe veſperi componebat, quin ſuum a manu puerum recitare aliquot ex divinis libris ſectiones majores juberet. Somno præripiebat & ſuffurabatur tempus, ſi quando per negotia publica maturius eſſet prodeundum, ne quid decideret horis quas ſacro officio dedicaverat. Nec legebatur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 106

ſolum ſacer Codex , ſed ab ipſo cum præcipuis fidei noſtræ capitibus explicabatur. Loquor explorata , & ſuperſunt hujus propoſiti divini teſtes non uni. Sicut autem divini cultus rationem omnem accurate erat complexus animo , ſic vita ipſa exprimere nunquam non ſedulo laborabat , ne tam ſermone & verbis , quam re ipſa eſſet Chriſtianus. Cujus officium non in ſciendis decretis magis quam exercendis operibus Chriſtianis conſiſtere plane erat perſuaſus. Hujus pietatis documentum inſigne dedit etiam in fatali illo morbo, qui eum nobis eripuit. Paucis enim diebus antequam beatam efflaret animam & Theologo magno, quem juſſerat arceſſi, & Medico inſigni, cui curam commiſerat, declaravit ſe vitæ hujus pertæſum magno teneri deſiderio hæc corporis vincula exuendi , & in beatum Chriſti ſinum , cujus ſemper amore flagraverit, cujusque meritis nunc & benignitate niteretur , ſe recipiendi , teſtatus Dei hominumque fidem, quicquid in ſummo magiſtratu geſſerit, ſe vacuum odio & ira bona fide geſſiſſe , & boni publici cauſa , quod ſemper ſibi fuerit antiquiſſimum. Nihil præterea ſibi in omni vita magis fuiſſe curæ cordique quam ut extinctis diſcordiarum facibus Chriſtianorum diſſidentes animi in concordiam redigerentur. Hæc morientis confeſſio fuit, magna pietatis index & teſtis. Concordiæ ſane ingens ſemper præ ſe tulit & flagrans ſtudium , illosque qui huic curæ ſe mancipabant , & in eo omnes ſui ingenii & induſtriæ nervos contendebant tanquam pretioſas deficientis aurei generis reliquias admirabatur & colebat unice. Eos vero deteſtabatur qui lites ſerunt ex lite , & prurigine

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 106

gine diſputandi non inveniunt verum, ſed amittunt. Quoties cum ego ipſe tum alii multi eum audivimus deplorantem tiſtem iſtam, fœdam, & miſerabilem Eccleſiæ faciem, quæ inſtar navis ſalo agitatæ refert, in cujus perniciem venti, undæ, hoſtes & quicquid maxime terribile maria ſulcantibus ſolet occurrere, conſpirarunt: Cujus interim rectores & nautæ communis periculi obliti mutuam ſævitiam ferro, manu, furore immani invicem exercent. Num unquam Romani acrius pro aris & focis cum Hannibale & Pœnis dimicarunt, quam de rebus non dicam levibus (ſit ſane ita ut nihil in religione parvum aut leve ſit) attamen certe, quod omnes concedunt, minime neceſſariis gladiatoria deſperatione contenditur. Veritatis cognitionem plenis buccis hinc inde quilibet ſibi vindicat, cum veritatis viam adeo plerique ignorent, ut ne cogitaſſe quidem de illa inveſtiganda videantur, quæ unica eſt, ut paſſim piiſſimi priſcæ illius Eccleſiæ præſides ac doctores inculcant, charitas. Ea vero refrixit, & videtur ex ſcholis & Eccleſiis hodie eſſe expulſa ad Garamantes, aut in neſcio quas ſolas inſulas deportata. Pietatem verba putant ut Oceanum aquam. Hanc infelicitatem ſæculi & eccleſiæ frequenter MORELSIUS, ubi ferebat occaſio de religione diſſerendi, deflebat, ac de viis hoc malum cum omnibus libris exſtirpandi cogitabat ſemper, ut de nulla re libentius diſputaret. Amor erga Deum nullis luculentioribus ſe prodit argumentis, quam amore erga homines præcipue qui cum paupertate & omnium rerum penuria conflictantur. Hic vero mirabilem ſe præſtitit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 106

MOREELSIUS & divinum. Tanta enim liberalitate egenorum inopiam ſublevavit, tam large quorum neceſſitates habebat cognitas, unde uterentur dabat, ut forſan pauci ſint qui tantum argenti pauperum tutelę impendant, & quidem ſine ulla jactantia & oſtentatione, non ut famam liberalitatis captaret, ſed ſuo ſatisfaceret animo & Chriſti præceptis, clam maxime furtimque exercens munificentiam, ut non niſi ii noſſent qui in contubernio ejus agerent, nec ante noſſent quam ex iis, quos viderant lætius ſemper diſcedere, quam veniſſe, didiciſſent. Subjicienda hic eſſent de obvia ejus comitate erga omnes etiam humillimos, de vitæ elegantia & nitore, de magno luxuriæ & omnis delicati ac ſumtuoſi cultus habitusque odio, de ſumma moderatione animi, de inſigni modeſtia & continentia, de dotibus quas natura in ipſum cōtulerat ſingularibus, de pulcherrimo illo magni animi hoſpitio, corporis orisque dignitate, de plurimis aliis virtutibus rebusque quas noſſe ad perpetuam ejus viri memoriam & exemplum aliorum intererat. Sed tempore, ut videtis, excludor. Vix alter annus currebat ex quo cum Diva ſua redierat in gratiam, cum ardens & omnes Medicorum artes induſtriam fallens febris eum corriperet, viresque longiore vita digniſſimi viri ita labefactaret & brevi exhauriret, ut in paucis diebus inevitabilem ei attulerit ex hac vita ad ſuperos migrandi neceſſitatem. Obiit exante XII. Kal. Jun. maximum ſui deſiderium apud omnes bonos relinquens, & immortalem ingentium meritorum memoriam, quam nulla dies, quam diu hęc Urbs erit, extinguet, nullaque ſæculo-

rum

rum longinquitas obliterabit. Loquetur ea poſteritas, celebrabunt memoriæ & annales, nec unquam tanti Viri laus & gloria conticeſcet.

DIXI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 106

ANTONIUS MATTHÆUS

ACAD. ULTRAJ. p. t. RECTOR LECT. S.

QUANDOQUIDEM

VIR ILLUSTRIS, AMPLISSIMUS, SPECTATISSIMUS, DOCTISSIMUS, JURIS DIVINI ET HUMANI PERITISSIMUS, OPTIME DE REPUBLICA ET ACADEMIA MERITUS, AC CLARITATE SUI NOMINIS PER OMNIUM SECULORUM MEMORIAM VICTURUS

D. HENRICUS MOREELSE

OLIM IN ILLUSTRI HAC ACADEMIA JURIS ANTECESSOR, CURIÆ PROVINCIALIS SENATOR, ET URBIS PATRIÆ CONSUL,

ALIISQUE SPLENDIDIDISSIMIS, SUMMIS ET MAGNIFICENTISSIMIS HONORIBUS EGREGIE FUNCTUS, MAXIMO CUM BONORUM OMNIUM MOERORE, TRISTITIA, LUCTU

CONCESSIT IN FATA XII. KAL. JUN. ANNI cIↃ IↃc Lxvi.

SENATUS ACADEMICUS

Laudabilem majorum noſtrorum conſuetudinem æmulatus

VIRO INCOMPARABILI

CUJUS MAXIMUM ET ADMIRANDUM BENE MERENDI DE REPUBLICA STUDIUM LOQUETUR OMNIS POSTERITAS

Reci-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 106

Recitatis virtutibus, & rebus ab ipſo ſumma cum laude præclariſſime geſtis,

PARENTANDUM DECREVIT

EAMQUE PROVINCIAM DEMANDAVIT

ELOQUENTIÆ PROFESSORI

VIRO CLARISSIMO

D. JOHANNI GEORGIO GRÆVIO.

Quapropter omnes omnium Ordinum Viros Literatos, Literarumque Fautores, imprimis Academiæ noſtræ Cives, ad hunc actum ſolemnem, craſtino die Saturni, qui incidit in XXIX. Septembr. horâ decima, in Templi majoris Choro publice celebrandum,

INVITO.

HIC SITVS EST

HENRICVS MOREELSIVS, J.C.

VIR SINGVLARIS EXEMPLI.

QVEM NEC AMBITIO, NEC LARGITIO, NEC VLLÆ MALAE ARTES,

SED

VIRTVS, SAPIENTIA, PROPOSITI SANCTITAS, ERVDITIO, JVSTI RECTIQVE STVDIVM ET PRVDENTIA, ORIS ORATIONISQVE DIGNITAS, MIRIFICA MORVM SVAVITAS PER OMNES DIGNITATVM ARTICVLOS AD SVMMAM PRODVXERVNT.

QVI NIHIL DEBET FORTVNAE, SED OMNIA SVO INGENIO ET VIRTVTIBVS,
TAM EXIMIAE ENIM IN EO A TENERIS ANNIS ELVXERVNT, VT AD SVMMA NATVS ESSE COGNOSCERETVR, ET SIMVL AC SOLLEMNIA STVDIORVM ACADEMICORVM SPATIA CONFECISSET, OMNIVM OCVLOS ET ANIMOS ADVERTERET,

AC

JVDICIO PATRIAE TOTIVS, SVFFRAGANTIBVS OPTIMATIBVS, XXVII ANNVM NATVS

CONSESSVI JVDICVM CVRIAE VRBANAE HVJVS TRAJECTI ADSCRIBERETVR,
DE HINC CREARETVR,

IN INCLYTA HVJVS ACADEMIA ANTECESSOR,
CVRIÆ PROVINCIALIS IBIDEM SENATOR,
XIV. VIR STLITIBVS JVDICANDIS IN CONSILIO CONTROVERSIIS INTER HISPANIÆ REGIS ET FOEDERATI BELGII CIVES COMPONENDIS INSTITVTO,

COLLEGII A RATIONIBVS VII. PROVINCIARVM, QVOD HAGÆ COMITIS EST, ADSESSOR,
VRBIS PATRIÆ CONSVL,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 106

HI HONORES NON TAM ILLVM ILLVSTRARVNT; QVAM AB EO ILLVSTRATI SVNT.
IIS ENIM SECVNDA BONORVM VOLVNTATE FVNCTVS EST,
NON SVIS SERVIENS COMMODIS, NON FAMAE, NON DIVITIIS,
SED
PATRIAE, RELIGIONIS PACI, QVAE PRAECIPVE EI CVRAE CORDIQVE ERAT, LIBERTATI, ET STVDIIS SAPIENTIAE.

NIHIL DABAT GRATIAE, NIHIL ODIO.
PROBORVM ERAT ARA ET PRÆSIDIVM, MALORVM SCOPVLVS.
BONVM PVBLICVM IN OMNI PVBLICAE REI ADMINISTRATIONE PHAROS EI FVIT, ET VNICA CYNOSVRA,
NEC INVIDIA, NEC CLAMORES PLEBIS EVM VNQVAM POTVERVNT TRANSVERSVM AGERE AC PRÆCIPITEM.
NON PONEBAT ENIM RVMORES ANTE SALVTEM,
ERGO POSTQVE MAGISQVE VIRI NVNC GLORIA CLARET.

VIXIT ANNOS L.

SVMMIS IMIS MEDIOXVMIS CARVS ET ACCEPTVS

OBIIT A. D. XII. *KAL. JUN.* CIↃ IↃCLXVI.

INCREDIBILI OMNIVM CVM MOERORE ET PLANCTV, ÆTERNVM SVI DESIDERIVM RELINQVENS.

H. M. P. M.

TANTO VIRO

VIRTVTVM EJVS ADMIRATOR ET CVLTOR

JOHANNES GEORGIVS GRAEVIVS.

MEMORIÆ
Nobilis Eruditiſſimi atque Illuſtris VIRI
D. HENRICI MOREELSE JCti,
Urbis & Reipublicæ Trajectinorum Conſulis; ac in ſuprema eorundem Curia Senatoris,
ELEGIA.
VIRGIL. 2. ÆNEID.

——— *Juſtiſſimus unus*
Qui fuit in Teucris & ſervantiſſimus æqui.

QValis compoſitos inter Sipyleïa natos
Tantalis haud uno funere mœſta parens,
Fertur ad immites liventia brachia Divos
Pignoribus tendens incubuiſſe ſuis,
Jamque per exanimes ſuprema ſed oſcula natas
Diſpenſans, jam per vulnera fœda viri,
Te queſta eſt potuiſſe & non voluiſſe moveri
Phœbe; ſtetitque, ſuis diriguitque malis:
Sic nos iſta dies qua funere flemus in uno,
Luctiſono vidit contremuiſſe metu.
Iſta dies! quæ te crudelibus addidit umbris
Sancte vir, attonitos conficit iſta dies.
Nec genitrix te ſola ſororve aut filia luget,
O utinam his ſtaret finibus ille furor!

Non

Non proceres, non te populus, non curia flerent,
Non patriæ veſtra nixa ſalute ſalus.
Publica nunc cum ſint rerum diſpendia tanti,
Debuit haud ullo fine ſedere dolor.
Juſtitium cives, ſonat heu! ferale per urbem
Juſtitium, nulli fas ſit habere decus,
Indue deformem miſerabilis indue luctum
Viſa diu felix curia, roſtra, forum,
Jura ſilent, mutumque gemit ſine lege tribunal,
Suffragioque vacat flebilis urna ſuo.
Qui legis hoc etiam tam lamentabile carmen,
Sive rei titulum, ſive clientis habes,
Omnibus ad tumulum par ſit concordia flendi,
Nec quiſquam lacrymas temperet ore ſuas.
Cor & amor Themidos, noſtri vox prima Senatus
Publica ſpes, gentis gloria, norma fori,
Præſidium populi, quo non moderatius alter
Arbitrii potuit ducere frœna ſui,
Quem facili ingenio, placidum, vultuque ſereno
Delicias Charitum dixeris eſſe trium,
Occidit heu! pullaque cinis componitur urna
Et ſubiit cenſum Parca ſevera tuum.
Juſtitium cives, ſonet heu! ferale per urbem
Juſtitium, nulli fas ſit habere decus.
Viderat hęrentem atque animam ſub morte trahentem
Æqua Panomphæo de Jove nata Themis,
Attonitæque ſtatim mens excidit & color omnis,
Inque Jovem & diras ſic fuit orſa Deas:
Ergo per hos etiam fati inclementia mores

Regnat, & arbitrio temperat omne ſuo?
Nullaque res poterit Stygias inhibere ſorores?
Ergo ruet ſimili fasque nefasque gradu?
Nec probitas tantum valet ut fera ſtamina ceſſent?
Pollice tam certo flebile netis opus?
Si nihil integritas, & non ſibi conſcia noxæ
Mens poterit veſtras ſollicitare manus,
Da pater, unde igitur virtutum exempla petemus?
Quis colet ingratos in ſua damna Deos?
Fata manent omnes, verum hunc precor exime fatis,
Quod meruit nemo promeruiſſe vides;
Eſt aliquid coluiſſe una pietate tonantem,
Et puras ſceleris continuiſſe manus:
Non rubuit pingui donatus munere: & uſquam
Cereus in pravum flectere viſus ubi eſt?
Vota Deos tetigêre lyram pulſantis in orco,
Eurydicenque ſua lege recepit amans.
Cur ego quæ certo compono fœdere mundum
Non habeam faciles in mea vota Deos?
Talibus incaſſum fuſis, laniataque plangens
Pectora, purpureas ungue ſecante genas,
Extrema thalami languens Dea parte reſedit,
Singultuque pios impediente ſonos,
Nate, ait, exemplum cunctis venerabile morum
Cui licuit vitiis abſtinuiſſe manus,
Quorſum abis, & vano fallis mea brachia nexu?
MOREELSI veſtræ gloria matris ubi es?
Heu! modo tantus ubi es? revocaris ad oſcula matris,
Si qua tibi viduæ cura parentis, ubi es?

Ah

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 106

Ah, nomen crudele pater! cui flectere mentis
Conſilium nulla (vah?) prece nata poteſt.
Dic, precor, æternæ data cur conſortia lucis?
Munus erat, nato me moriente mori.
Diva etiam lacrymis (vix hæc credentur) obortis
Addidit, exuvias funeris ipſa feram.
Omnia ſi tollant non hæc ſolatia tollent
Impia lanificæ ſtamina rupta Deæ.
Officium facient manus altera, & altera nate
Formatura oculos nocte cadente tuos.
Ipſa ego te cœli campo meliore receptum
In patrios referam numina Semideos:
Pars eris hiſtoriæ non ultima, perque nepotum
Te ſeriem triplex curia laude feret.
Hæc effata omnes inter ſubit ipſa pheretrum,
Atque averſa feram ſubjicit ipſa facem.
Relliquiasque legens, & verba noviſſima jactans,
Hoc ſuper ingeſtam marmore clauſit humum:
Cui pietas mentem finxit, prudentia pectus,
Conſilium juncta religione fides,
MOREELSE in Patrio nomen tam grande Senatu
Debuit invita fata ſubire Themi.

Trajecti ad Rhenum,
cIↄIↄcLXVI.
V. Kal. Jun.

PHIL. THEOD. TOLLIUS.

COR. FR.

EPK

EPICEDIUM
IN OBITUM
Viri Præſtantiſſimi, in Acad. Traject. Anteceſſoris quondam Celeberrimi:
Deinde Curiæ Prov. Senatoris Integerrimi,
Et urbis Traj. Exconſulis Nobiliſſimi.

D. HENRICI MOREELSE,

Cum deceſſiſſet XI. *Cal. Junias*
Anno M DC LXVI.

QUid Mors ſæva tuos in noſmet dirigis ictus,
Acceptoque gravi vulnere flere facis?
Non te turba virûm, non tanti funera belli
Explent? ô Patriæ dura Noverca meæ!
Nec te noſtra movet clades? nec cætera tangunt
Damna? Caledonio quæ facis enſe ferox.
Atque hæc cuncta mali tenuent oblivia belli,
Quotque triumphato frater ab hoſte redit:
Sed quod tanta patrum ſuffocent lumina febres,
Patria queis laudes, & ſua ſceptra refert.
Et cadat excelſi pars delibata ſenatus
MORELIS, quem nunc triſtia fata tenent.

(Incli-

(Inclita quem quondam de Palladis æde popoſcit
  Aula Senatorem, quamque regens cecidit:
Qui decus & faſces, & non numeranda ſubivit
  Munia, cui Patriæ credita cura fuit:
Qui ſtabili ſemper meruit candore favorem,
  Perpetuus populi rite per ora ſui)
Id dolet: ô clades! quam nunquam ſupprimet ætas,
  Nec longâ pietas excidet iſta die;
Quam non livor edax, non ulla oblivio franget,
  Fama etenim ſera poſteritate viget.
Triſtis inopsque patrem meritò ſuſpiret ademtum,
  Funera nec ſiccis audiat iſta genis:
Trajectumque dolens nunquam lugubria ponet,
  Flebit enim patrem quisquis aduſque ſuum.
Ipſe ſono, planctuque ſimul gemituque calentes
  Extinguam cineres, & pia buſta ſequar:
Sicque virum ſemper qua poſſum mente recordor,
  Inque ejus laudes penna vel ipſe ferar.

CAROLUS CRUCIUS

F I N I S.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 106

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 106

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 106

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 106

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
326 B 106